

AUCTORI FIDEI,

ET CONSUMMATORI JESU
PER VIRGINEM MARIAM,
EJUS MATREM

HAS EX UNIVERSA FERE CHRISTI
doctrina ad Theologiae, Historiae,
et Critices regulas exactas
Propositiones

Bac. D. SEBASTIANUS SALI-
do et Martinez

DEMISSE, AC LIBENTISSIME
consecrat:

QUAS IN REGIA HISPALENSI LIT-
terarum Academia Sacrae Theologiae
in eadem Doctore, Vespertinae Cathe-
drae moderatore, hujusque Dioecesis
Examinatore Synodali

D. D. FRANCISCO DE PAULA
Cerero Ibañez

OPITULANTE,
Kalendis Octobris Ann. Dñi. M. DCC. XCV.
DEFENDET.

Hispali apud D. Felicem de la Puerta Typogaphum, in via
vulgo appellata Calle Piñones Num. 18.

18

Ille est verus, et germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui Divinae Religioni, qui Catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloqüentiam, non Philosophiam, sed haec cuncta despiciens, et in fide fixus stabilis permanens, quicquid universalitèr antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum, credendumque decernit.

Vincent. Lirin. advers. prophan. omn. haeres. novit. Common. 1. n. 20.

¿*QUIS est tam vecors*, ut ajebat olim Tullius (1), *qui cum suspexerit in coelum non sentiat esse Deum*? Certè nullus. Rationis expers, aut mentis impos sit oportet, quem pulcrhitudo mundi, ordo rerum coelestium, qui velut naturae vox mentem aliquam praestantissimam, humano generi admirandam confiteri cogit, non moveat, et in universi conditoris non rapiat cognitionem. Nulla igitur est, fuitve aliquandò gens, nulla natio tam immanis, et barbara, quae etsi qualis sit, ignoraverit, Deum nullum esse crediderit. Nec veteres illi Philosophi á Graecis Athei habiti, si Alexandrino Clementi fidem facimus, nec recentiores perditissimi quidem homines, se Atheos gloriantes, Deum non esse sentiunt. Naturalis á Philosophis, qui Naturalistae vocantur, conficta religio, idololatrarum vesania, insana Mahumetis stultitia, quidquid Deo á Christianis exhibito cultui contradicat, ipsi Deo injurium, et ingratum est, homine indignum. Quae idololatriae origo, quo tempore esse coeperit, nescitur. Enos minimè praecessit: Abraham, et ejus avo Sarug fuit antiquior, Moysen auctorem non habuit. Perinjuria

(1) Cicer. lib. de Harusp. respons.

ria etiam Deo vetus, et sacrilega Politheorum impietas; unus tantúm Deus est, *et si unus non est*, ut inquit Tertullianus (1), *Deus non est.* Duo propterea Manetis principia ruunt necessariò. Deus ab omni materiae concretione sejunctus simplex est, non compositus, *cum sit totus spiritus, et tota ratio*, ut Iraeneus ait (2). Antropomorphitarum rudem de Deo, fideique adversam sententiam Melito Sardicensis Episcopus, Audaeus, Epiphanius, Tertullianus non sunt amplexati. Cum Deus sit independens, infinitus, immutabilis, immensus, sempiternus, omniscius, omnium curam gerens, omnipotens, optimus, beatissimus, verbo, quo nihil esse, cogitarive potest praestantius, peccati auctor non est, neque hominem quantumlibet reprobum ad malum determinat. Quaecumque suae non derogant majestati, quae secummetipsis non pugnant, plura, et meliora, quam quae fecit, Deus facere potest. Quae autem vere sunt impossibilia, sunt namque nonnulla, renuant licet Thomas Blownt, et Cartesius, Deus non potest facere. Vera patrare miracula Dei proprium est, quod hominibus nonnumquam communicat. Plurima id generis Deum, Sanctosque homines patrasse miracula sacri libri, Ecclesiae Catholicae auctoritas, Sancti Patres, probatissimi personant testes. Cujus rei vel solus primis Ecclesiae saeculis Martyrum numerus, quem plurimum fuisse adversus Dodwellum (3), aliosque pseudocriticos de-

(1) Lib. 1. adv. Marc. (2) Lib. 6. Cap. 16.
(3) Disert. Cyprian.

defendimus, testis est locupletissimus, ut fideliora eorum acta conclamant. Non vera fuere, sed apparentia Magorum Pharaonis miracula; imposturae, praestigiae, sensuum ludificationes, aut eventus miri, quia insoliti, naturalis tamen artis, sive ope Daemonum facti, quae de Apollonio Thianeo reffert Filostratus (1), de Graecis Diodorus Siculus, et Plutarchus (2), de Romanis Cicero (3), et Valerius Maximus (4), de Vespasiano Tacitus (5), de Adriano Spartianus (6), de aliis tandem alii.

Deum, quem unum esse humana ratio, natura etiam duce, cognocit, in personis Trinum divina tantúm revelatione veneramur. Trina enim unitas universam mentis nostrae aciem longè, latèque superat. Qua in re caecutiunt Sabellius, Sociniani, omnes denique alii, qui unicam Deo personam assignent; *alia* quippe *est*, teste auctore Symboli, quod falsò tribuitur Athanasio, *Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Egregius ille Joannis locus (7) *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spitus Sanctus, et hi tres unum sunt* et personarum in una essentia evincit distinctionem, et genuinus Joannis foetus est, non ab aliena manu sasacro textui assutus, ut frustrà praeter alios Erasmus contendit, et Ricardus Simon. Deo Patri consubstantialis est Filius, utrique Spiritus Sanctus, quod semper in Ecclesia Dei creditum est.

(1) Vit Apol. Thian. (2) Graec. Histor. (3) Lib. 2. de nat. Deor. et Lib. de Divinat. (4) Lib. 1. et 8. Dict. et Fact. (5) Lib. 4. Hist. circ. fin. (6) In Adrian.

(7) 1. Joann. 5.

Antiquissimi, sapientissimique Orientis, et Occidentis Ecclesiae Patres, atque Doctores, qui ante Nicaenam Synodum floruere, quamquam subobscurè interdum locuti sint nonnulli, Verbi Divinitatem plenè confessi sunt; an Origenes, ac Caesariensis Eusebius ab Arrianismi nota possint excusari, non una est, eademque Theologorum sententia. Sacrosanctae Nicaenae Synodi fidem pro aris, ut ajunt, et focis propugnandam, nec Liberius Papa, nec Cordubensis Osius, meritissimus ejusdem Concilii praeses umquam deseruere. Imprudentèr, et impiè Erasmus, atque Crellius Spiritum Sanctum ab antiquioribus ut Deum habitum non fuisse, calumniantur. Neque solum á Patre, vel á Patre per Filium; sed á Patre, et Filio Spiritus Sanctus procedit; nec Occidentis Ecclesiae, quod Symbolo C. P. particulam *Filioque* addiderit, crimini verti debet.

Mundum universum, coelum scilicet, et terram nulla praeexistente materia, sed ex nihilo, nulla necessitate coactus, sed liberrimè, non ab aeterno, sed in tempore, et ut conjicimus in Autumno rerum omnium conditor creavit Deus. Geneseos historia á solo Moyse, Haebreorum Sapientissimo, et Dei Spiritu afflato repeti potest, posthabitis impiorum, qui criticam jactantes, suam produnt ignorantiam, putidis, anilibusque fabulis, vanis, et ridiculis argumentationibus. Qui utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corpoream Deus, valdè bona omnia, quae fecit, ipse testatur (1).

An-

(1) Genes. 1.

Angelos esse, eosque omninò immateriales, haud morti obnoxios, novem ordines, ex his omnibus in ministerium mitti, hominibus custodiendis deputari, in bonos demun, et malos dividi fatemur. Homo ad Dei imaginem, et similitudinem factus corpore, et anima constat: haec non est divinae substantiae pars, neque animae generantis portio, nec ex corporeo semine propagatur, aut ab alio in aliud corpus traducitur, ut benemulti veteres, recentioresque Philosophi docuerunt; sed purus spiritus est, et immortalis, eo tempore, quo corpori inseritur, creatus. Primus omnium hominum fuit Adam, ex quo totum humanum genus, quidquid Praeadamitae reclament. Hic justitia, qua ab ejus origine ornatus fuerat, dono immortalitatis, quod non á natura, ut falsò Bajus statuit, sed á gratia habebat, super se, animaliaque universa dominio, donis insuper aliis ob fructus vetiti esum fuit spoliatus. Per verum, naturalemqne serpentem Diabolum cum Eva collocutum, Cajetani, et Origenis ad metaphoram confugientium interpretationem, aliorumque deliramenta respuentes propugnamus. Adami peccatum in omnes ejus posteros transfundi, Ecclesiae Catholicae dogma est. Hujus peccati essentiam corr uptam á peccato animae substantiam, aut pravam hominis concupiscentiam esse adversus Illiricum, Lutheranos, Calvinianosque inficiamur.

Deus Salvator omnium, et maximè fidelium, ea omnia, quae, ut suam tamdem aliquando adipiscantur salutem, necessaria sunt, omnibus est impertitus. Gratia indigere homines, quae

intellectum illuminet, voluntatemque moveat, ut supernaturalia praestent opera, saepe saepius ab Ecclesia declaratum est (*). Praedestinatianorum haeresim quinto Ecclesiae saeculo extitisse constat: nono eam suscitavit Gotescalcus. Wiclefi, Lutheri, Calvini, omnium, qui his astipulantur, impia, sacrilegaque in liberum hominis arbitrium dogmata proscribimus. Michaelis Baji doctrina jure, ac merito à Pio V, et Gregorio XIII. anathemate percusa, ab Urbano VIII. Bulla *In eminenti* (quae subreptitia non est, sed summum, irrevocabileque, cui assentiri omnes tenentur, Ecclesiae judicium) conffossa, Jansenismum praecessit, qui, ut nunc temporis quidam impudenter affirmant, merum phantasma non fuit. Quinque illae nominatissimae Jansenii ex libro, qui *Augustinus* inscribitur, excerptae propositiones ab Ecclesiae Pontificibus canonicè damnatae nec distinctione *Juris*, et *Facti*, nec *religioso*, ut ajunt *silentio*, aliave cavillatione, nec ullo prorsus modo defendi possunt. Clementis XI. adversus Quenellum Constitutio, quae incipit *Unigenitus*, Ecclesiae dogmaticum judicium, omnes, et singulos astingens Christi fideles, non disciplinae, politiae, aut cautionis lex est. Fides sola hominem non justificat, nec sola justitiae Christi imputatio nostra justificatio est, ut Ecclesia testatur universa (1). Bona opera nobis necessaria sunt, et his vitam meremur aeternam, quod Lutherus, ejusque asseclae negavere.

(*) Concil. Cartag. Arausican. Milevit. et aliis.

(1) Trident. Sess. 6. Canon. 9. 10. et 11.

Piis, et impiis juxta uniuscujusque merita rependit Deus. Justorum animas plenè purgatas statim ac corporibus exuuntur, Deo frui, ipsum intueri lumine gloriae, despectis Chiliastarum erroribus, credit Ecclesia. Nec Joannes XXII. justorum animas ante resurrectionem Deum non visuras definivit, nec ab oculo corporeo Deum videri Augustinus putavit. Dispar Sanctorum meritum, et gloria aeternae, et perfectae eorum non officit felicitati. Dei Sanctos invocandos, nostras preces exaudire, pro nobis intercedere, eorum reliquias venerandas, nullum á tota Dei Ecclesia Sanctum haberi hoc honore vel tantillum indignum, adversus infensissimos religionis nostrae hostes omnes ad unum sentiunt Catholici. Christi D., Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum omnium imagines religioso cultu prosequendas contra Iconoclastas definitum est.

Dei Verbum, Spiritus Sancti operante virtute, ex Maria Virgine veram, nostraeque similem carnem assumpsit, cui loco animae non erat ipsum Verbum, ut Arrius, et Apollinaristae docebant. Christus, qui verus Deus est, et verus homo, naturalis est Dei Filius; unus tantum Christus, quia unica, eaque divina persona in eo est. Propterea B. V. Maria ab Ephesini Concilii Patribus, Nestorii blasfemiam execrantibus, Dei Genitrix summa omnium fidelium laetitia declarata est. Duae verò sunt in Christo copulatae naturae Divina, et Humana, ut Chalcedonensis Concilii, Eutychen damnantis, verbis utamur, *inconfusè, inmmutabilitèr, indivisè, inseparabi-*

 litèr,

litèr, numquam sublata differentia naturarum propter uniomem (1). Duas etiam voluntates Monothelitarum errori contradicens sanxit Ecclesia (2). Cyrillum Alexandrinum, Joannem Antiochenum, Honorium Papam ab Eutychetis, Nestorii, Monothelitarum haeresibus vindicamus.

Christus postquam novem mensium intervallo in utero B. Mariae delituerat, ex ipsa non communi naturae lege, sed mirabiliter natus est; nam nec ullos dolores passa est illa, quod negavit Carpovius, nec Filii nativitate ejus laesa est virginitas, ut Jovinianus asseruit, nec cum sponso umquam congressa fuit, ut impudentissimus somniavit Helvidius; sed perpetuò Virgo permansit, quemadmodum á primis saeculis, ducta traditione, tenet Ecclesia.

Christus Dominus hominum amore flagrans pro omnium salute passus, et mortuus est. Quaecumque tum in anima, cum in corpore Christum pertulisse Evangelia Sacrosancta narrant, revera pertulit: pavorem nempè, taedium, moestitiam, tristitiam, sanguinis sudorem, ictus, verbera, convitia, mortem. Haec non in divina, ut quidam commenti sunt, sed in humana natura perpessus est. Quam sudoris sanguinei historiam Lucas refert (3), supposititiam, hyperbolicam, metaphoricamve credere, piaculum est: vero sanguine Christum sudasse ab Apostolorum aevo censuit Ecclesia. Veros Christi dolores ab Hilario non fuisse negatos, ex ejus scriptis accuratè inspectis, liquet. Pilati in Christum lata sen-

ten

(1) Act. 5. (2) Synod. VI. Act. 18. (3) Luc. Cap. 22.

tentia defectu jurisdictionis, ordinis judiciarii, et aequitatis injusta, et iniqua demonstratur. Non Simon Cyrenensis, ut asserebat Basilides, sed Christus, ei, quam ipse portavit, clavis suffixus est Cruci Hanc non singulari crucifigentium odio portasse, sed quia mos erat, clarissimi Theologi sibi persuasserunt. Vera, non apparens fuit Christi mors, ejus anima á corpore separata est, á neutro autem divinitas. Christi morte tenebras, et terraemotus nedum Judaea universa, verum etiam totus orbis persensit. Christus sui ipsius passione, et morte verè pro nobis satisfecit, á Diabolo, á peccato, ab aeterna morte nos redemit, Patri reconciliavit: ejus satisfactio necessaria fuit, universalís, aequivalens, ad strictos justitiae apices, superabundans, infiniti valoris. Christum sepeliri decuit: honorificentissimè fuit sepultus, patrio more (1): plurima Christi sepulturâ mysteria significantur. Hominum namque cadavera sepulcro mandari humanae naturae dignitas exigit: christianorum verò, utquae Spiritus S. templa fuerint, humanda sunt honorificè, piè, ac religiosè tractanda. Qquidquid prophanos Ethnicorum mores redoleat in sepulturis, et exequiis fugiendum ab Ecclesiae P. P. (2), totaque antiquitâte docemur; sepulturae tamen, et exequiarum magnificentia statui mortuorum, condítioni, dignitati, patriis legibus, caeteris adjunctis respondens numquam abEcclesia fuit damnata; perperàm á nostra religione aliena, falsò adversa, im-



(1) Joan. 19. (2) Basil. conc. ad divit. Chrysost. hom. 66. alii. vid. Bernard. de sepult. et exeq.

impiè creditur proscripta. Innumera de commitatibus, caereis accensis, canentibus, et aliis quae usu trita sunt, ex quo Ecclesia Dei palam religionem professa est, testimonia inveniuntur (1). Primis Ecclesiae saeculis christianos omnes in coemeteriis; quosdam deinde, temporis decursu omnes in templis sepultos scimus; ut frequentior eorum, quos diligimus, dum apud Deum, et Sanctos ejus preces fundimus, memoria habeatur, hoc invaluisse ex Augustino colligitur(2). Haec pietatis officia mortuis suffragia, caeteris paribus, vivis merita sunt.

Christi anima ad inferos, locum scilicet subterraneum, quo V. T. Patres detinebantur, non virtute tantum, et efficatia, sed re quidem vera descendit. Non ergo propter incarnationem, non propter diram animae passionem, aut corporis sepulturam, *nec propter damnatorum cruciatus passos* (3), ut recentiores haeretici volunt, Christum ad inferos descendisse dicitur. Veteris testamenti Sanctos é loco, in quo erant, Christus eduxit; Daemones, damnatosque alios in inferno reliquit contra atque Marcion delirat. Trajani Imperatoris animam Sancti Gregorii precibus, Falconillae etiam Sanctae Techlae orationibus á gehenna liberatam ad fabulas amandandum; *oratio* quippe *de Defunctis*, cujus auctorirate hoc nititur, Damaseceni opus non est. Daemones, damnatosque omnes salvos aliquando futuros

(1) Adeat. Selvag. de antiq. Christ. Vit. Marten. Lambertin. &c. (2) Lib. de cura pro mort. cap. 4. (3) Calv. lib. 2. Intst.cap. 16. et in aliis locis.

turos, in quo erravit Origenes, á vero quam maximè distat. Uno originis peccato vita functi infantes nulla supernaturali, nec naturali fruuntur beatitudine : poena sensûs plectantur, necne, Theologi disputant; in negantem sententiam propendemus. Purgatorii animae igne materiali, ut damnati, non tamen aeterno torqüentur. Illiis Ecclesiae prosunt suffragia, fideliumque orationes.

Christi corpus terraemotu absortum non fuit, ut temerè, ac impiè dixit Edelmanus; sed tertia die, ut praedixerat, propria virtute, carne, quam assumpserat, á mortuis Christus resurrexit: quod unione hypostatica illi corpori debitum erat. Hujus resurrectionis tot, tantique sunt testes, ut ipsis fidem negare, amentia sit. Omnes quoque homines ante finale judicium morituros, ac resurrecturos ex Apostoli verbis (1) *Omnes quidem resurgemus* intelligimus. Proprium unaquaeque anima corpus reassumet, omnibus corporis humani membris, nulla deformitate, eo in statu, qui aetati hominis perfectissimae convenit, sexuum disparitate servata (2).

Erubescant qui affirmant, carnem in coelis vacuam sensu, ut vaginam exempto Christo sedere, aut qui carnem, et animam tantundem, aut tantummodo animam, non verò carnem, ut Tertullianus ajebat (3). Totum siquidem Christum in coelum ascendisse, et ad Patris dexteram sedere, fide divina constat. Nec Christus est ubique

(1) 1 ad Corinth. 15. (2) Videsis Calmet. Dissert. de resurrect. mort. (3) Lib. 1. de carn. Christ. cap. 24.

que, nec methaphoricè ejus ascensio est accipienda, ut Brentius, Illiricus, ejusque generis alii statuunt. Sessio autem non est corporalis, quae Patrum, et Doctorum interpretationi repugnat; sed methaphorica, ut et Patris dextera; *quae ipsum preesse omnibus tamquam supremum regem, ac judicem, qui tanta dignitate praecellit, ut in eodem solio cum Deo sit, et eadem adoratione colatur,* si eximio Theologo fides habenda est, apertè, ac clarè significant. Etsi hoc modo sedere Christi proprium sit, cum Christo tamen Sancti consedebunt, et conregnabunt.

Eos, qui vivimus, qui vivent, et qui mortui sunt, omnes Christus venturus est judicare; haec dogmatis hujus explicatio caeteris nec contemnendis praestat. Christus, ut homo, extremi judicii diem non ignoravit; constitutus est á Deo, judex vivorum, et mortuorum, licet tribus Trinitatis personis haec judicandi potestas conveniat. Justos, et peccatores ad extremum usque judicii diem de felicitate, aut damnatione dubios; purgantes animas hac etiam incertitudine puniri, cum particulare judicium sit, pernegamus. Quae signa, extremum judicium praecessura, Scriptura Sacra commemorat; judicii forma, et apparatus ab ipsa descriptus; Antichristi adventus, plurimorum ab ipso seductio, bellum in Sanctos infligendum, Messiae nominis, et cultûs ab Antichristo usurpatio, Henoch, et Eliae contra ipsum pugna, post breve Antichristi imperium á Dei Verbo, vel Spititu, aut ejus jussu illius interfectio, re vera futura sunt: permulta verò, quae de Antichristo, mundique duratione

rione falsò, ac temerè dicuntur, quibus placuerint, disputanda relinquimus (1). Sed plus fortè, quam par est, nostra excurrit oratio. Finis sit. Jam universa, et singula, quae *prophanas*, ut ille inquit (2), *prophanorum novitates* horrentes, et insectantes hactenus diximus, Catholicae Ecclesiae judicio subjecta sint.

(1) Videat. Dissert. Calmet. de Antichrist. (2) In fin. common. Vincent. Lirin.

Fran.co Cirillo Sculp